

bile: unde sequitur c. 130. *Quia cause 2. non agunt nisi in virtute 1. cause sicut instrumenta agunt per directionem artis, necesse est quod omnia alia agentia per que Deus ordinem sua gubernationis adimplet, virtute ipsius Dei agant. Agere igitur cuiuslibet ipsorum a Deo causatur, sicut & motus mobilis a motione moventis; movens autem & motum oportet simul esse. Oportet igitur quod Deus cuiuslibet agentis adfit interiorius quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet.*

*Deus adest interiorius cuiuslibet agentis ut in eo agens.*

Quid clarius est nec hoc dicere, quod Deus concurrat in solum effectum? nunquid discretè asserit Deū interiorius agere in ipso agente movendo ipsum? Quomodo autem agit in agente movendo ipsum, nisi quia influit in causam agentem quando eam movet? Respondebis quod movet, quia motionem simul facit cum creatura: sed vana est explicatio; agere enim & operari in agente movereque causam agentem ut faciat actionem plus est quam facere actionem in passivo: unde & duonavem trahentes (quod est exemplum Bellarmini ad probandum suum concursum) faciunt eandem actionem, & tamen neuter agit in alio, nec unus movet alium. Dicendum ergo quod Deus non concurrat in solum effectum, sed influit in causam, & ut opusculo 2. quod est contra Græ. cap. 10. inquit. *Operatur in nobis & movet singula secundum modum uniuscuiusque, ita quod quaedam ex motione divina ex necessitate suas actiones perficiant, ut patet in motibus celestium corporum, quaedam vero contingenter.* Unde consequens est quod iuxta D. Thom. loquuntur qui docent primum motorem Deum movere cætera moventia: qui autem id negant ut suam simultaneam cooperationem adstruant, longè sint ab ejus mente verbis sæpe citatis expressa.

#### ARTICULUS XVIII.

**E**X dictis cum liqueat S. Thomam docere quòd Deus movet, applicat, ac determinat causas, quod operetur in omni agente, quod interiorius adfit agenti, ipsiisque tangat sua virtute, quod voluntatem immutet, in eam imprimat, in ea operetur, quod voluntas & à se moveatur & à Deo, ita tamen ut Deus tanquam causa 1. & principalis moveat, voluntas autem ab eo moveatur ut causa 2. & instrumentalis: Evidenter patet cum non sentire quod Deus simul naturà cum creaturis concurrat in effectum, & non in causam: quomodo enim operabitur in causa agente si eam non tangat? quomodo eam movet, applicat, ac determinat, illique adest interiorius per contactum virtutis, si causam nec tangit, nec realiter movet, nec in eam influit; quomodo in voluntatem imprimat si non tangit? verum ad hæc respondent aliqui verba quidem B. Thomæ esse pro nobis, sed non doctrinam, ideoque declaramus nos non tam doctrinæ B. Thom. quam nominis & verborum ejus studiosos. Egregiam verò responsum: Unde hauriemus doctrinam nisi ex verbis & scriptis? Nunquid verba sunt signa affectuum qui in anima sunt? Nunquid sententiæ allatæ discretè elamant id quod negatur ab alijs? Quidam respondens ad authoritates B. Thom. Respondeo, inquit, non adferri illum locum D. Thomæ in quo naturæ verbis vocibus: determinat, aut prædeterminat voluntatem. Alius autem sic dixit. D. Thomas respectu voluntatis creatæ nusquam utitur hoc verbo, determinat vel prædeterminat; quod argumento est illum non sentire necessariam esse prædeterminationem. An non isti etiam ex verbis doctrinam colligunt?

Neque vero hic dicitur quod D. Thomas non eo sensu utatur verbo determinat quo nos utimur, sed absolute quod non utatur illo verbo respectu voluntatis creatæ; quod quam falsum sit, liquet ex dictis, ubi verba protulimus & ostendimus quod sæpius utatur illo verbo. Et hinc est quod publice sit admissa hæc propositio: *Deus determinat efficienter causas secundas.* Et cum D. Thomas ne vel uno loco dicat quod Deus concurrat in solum effectum, permultis autem asserat, quod in causa operetur, imprimat, influat, moveat, applicet, mutet, determinet, quis non videt eum non sentire concursum illum simultaneum, sed motionem causæ ita præviam naturà sicut motio moventis est prior motu mobilis, ut ipse ait. Hinc est quod hæc scriptores sive nobiscum sentientes sive dissentientes ferè omnes concesserint hanc esse B. Thomæ sententiam, adeo ut Suarez aut primus aut inter primos (quod sciam) fuerit qui constanter eam D. Thomæ subtraxerit. Atque ut ostittant Patres Dominicanos de quibus extra controversiam est quod doctrinam hanc sui Angelici Doctores ut fanam & veridicam profiteantur ac doceant: aliorum quorundam profereunt sententiam.

Collegium Conimbricense quod instar multorum debet esse, quamvis nostram de præmotione Dei assertionem non approbet, serio tamen proficitur eam esse D. Thomæ opinionem, & quidem celeberrimè; quod probat non solum ex quæst. 3. de potentia quam alij retractatam esse volunt probare, nec possunt; sed etiam ex illa ipsa quæst. 105. 1. p. ubi locus est retractationis eorum quæ dixit in quæst. 3. de potentia, si junioribus creditur. Sed vide consensum, Suarez dicit, S. Thomas tacite retractavit in quæst. 105. 1. p. ea quæ dixerat pro determinatione in quæst. 3. de potentia: Alij autem ut Conimbricenses, D. Thomas & quæstione 3. de potentia & quæstione 105. 1. p. pro determinatione loquuntur. Azorius verò etiam ex illa quæst. 105. nostram sententiam D. Thomæ attribuit & sequitur. Molina autem disputatione 26. ex eodem loco eidem attribuit, sed non sequitur, nos autem & attribuimus & sequimur. Conimbricenses libro 2. Phyls. quæstione 13. articulo 2. verba sunt hæc. *Circa modum quo Deus cum causis ad earum operationes & effectus concurrat disquisitione se offert celebris opinio D. Thomæ 1. p. quæstione 105. & in 1. 2. quæstione 109. art. 1. quæst. 3. de potentia art. 7. ejusque, sectatorum Capreoli in 2. distinct. 1. quæst. 2. Ferrarii 3. contra Gent. cap. 70. & aliorum existimantium omnes causas 2. antequam operentur, accipere à Deo influxum quendam & motum qui sit quasi esse intentionale virtutis divinae quo ad promendas actiones excitentur eo modo quo artium instrumenta: ut dolabra & securis præviam motionem à fabro accipiunt, cum ad opus applicantur.* Molina sunt ista, disput. 26. etiam postea videatur esse dubius: D. Thomas 1. p. quæst. 105. art. 5. docet Deum duplici ratione dici operari cum causis 2. imprimis quia virtutes illi tribuit ad operandum, easque actu conservat, ut Durandus dicebat: deinde quia ita eas ad agendum movet, ut quodammodo formas & virtutes earum applicet ad operationem non secus atque artifex securim applicat ad scindendam. Pererij & Azorij verba profereamus postea